



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XLIII. An ingressus causa sit iusta in expellentibus malefactorem, qui
Monasterium ingressus est, & egredi recusat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

DVBITATIO XLII.

An ingressus causa sit iusta in Superioribus visitantibus?

S V M M A R I V M.

- 1 Superiores tam seculares, quam Regulares volentes visitare Monasteria iustam causam habent clausuram ingrediendi cum comitatu paucorum seniorum, ac religiosorum virorum.
- 2 Superiores iustam ingressus causam habent ad visitandas officinas Monasterij, cellas, & suppellectilem Monialium, decentiam dormitorij, adificium, &c. ad quæ omnia inducere secum debent Notarium.
- 3 Superiores iustam ingressus causam habent ad occultas res Conuentus tractandas.
- 4 Superiores seculares, seu Regulares iustam causam ingressus habent in Monasteria sibi aliquo modo subiecta, non solum causa visitationis, sed etiam causa cuiuscunque alterius rei necessaria; secus est si nullo modo sint subiecta.
- 5 Magistratus, & deputati ad curam Monialium non debent ingredi cum Episcopo, nisi eos Episcopus elegerit.
- 6 Episcopus non debet permittere deputari à ciuitatibus aliquos, qui comitentur visitatores Monialium, etiam Regularibus subiectarum.

R Espondetur ex dictis cit. dub. 39. in fin. quod etiam iustam ingressus causam habeant Superiores, siue seculares, siue Regulares (cum comitatu scilicet paucorum, seniorum, ac religiosorum virorum præscripto à dicta Bulla Gregorij XIII. quando visitationem inchoare volunt: quia tunc debent Monialibus edicta proponere, visitationem denunciare, exhortationes habere. Quæ omnia fieri debent secretò, & exclusis nouitiis, conuersis, aliisque Monasterio ministrantibus; & sic in nullo loco commodius, quàm in loco, quo conueniunt Moniales ad secretas alias res Monasterij tractandas, seu in Capitulo Conuentuali. Item secundò iustam ingressus causam habent Superiores ad visitandas officinas Monasterij, cellas, & suppellectilem Monialium, decentiam dormitorij, adificium, si quod construendum est, vel ruinam minatur. Et finita visitatione ad dictum locum Monasterij venire, ob suæ visitationis publicationem, & culpam inde resultantium intimationem: & ad hæc omnia, tam ad visitationem hanc iudicalem faciendam, quàm ad eiusdem visitationis iam finitæ publicationem denuntiandam debent secum inducere Notarium, qui omnium istorum actuum testimonium det, & actus iudiciales faciat. Item tertio iustam ingressus causam habent superiores ad occultas res Conuentus tractandas; idque in dicto loco Monasterij, seu Capitulo Conuentuali, cum huiusmodi rebus tractandis nullus locus sit aptior, vti supra dicebam. Vide Llamas in Append. §. 7. (vbi sic testatur de praxi,) Mirandam de Monialib. quest. 2. art. 14. (vbi etiam ostendit, an Episcopus possit ingredi Monasterium exemptum causa visitationis; saltem dum constaret, clausuram in tali Monasterio violatam esse,) Barbosam de offic. & potest. Episcop. 3. part. allegat. 202. numero 43. & Bonacinam de clausura, questione 4. punct. 4. num. 6.

4 His adde, quod etiam iustam ingressus causam

habent superiores (siue seculares, siue Regulares) in Monasteria sibi aliquo modo subiecta, non solum causa visitationis, & finium, quos supra dicebam, sed etiam causa cuiuscunque alterius rei necessaria; quia sic supponitur in Motu Gregorij XIII. qui incipit: *Dubius qua emergunt*, & docent communiter Doctores.

Non tamen iustam ingressus causam habent alij (siue Episcopi, siue quicumque alij Prælati) in Monasteria sibi nullo modo subiecta; sic etiam communiter Doctores propter caput periculoso, Tridentinum Concilium, & alia iura supra adducta, sicuti videre est apud Mirandam de Monialib. quest. 2. art. 13. & quidem quoad Episcopos sic testatur decusum in vna Ianuensi 10. Maij 1631. Aldana in Compend. Canon. Resol. lib. 3. tit. 25. numero 8. & quoad Vicelegatos sic refert declaratum in S. Congregatione Gaudentis in Man. Episc. verb. Monialium clausura, numero 29. qui numero 30. subdit quod ex eadem S. Congregatione 1. Martij 1581. Magistratus, & deputati ad Curam Monialium non debeant ingredi cum Episcopo, nisi eos Episcopus elegerit, & num. 26. subdit, quod ex eadem etiam S. Congregatione, 12. Ianuarij 1616. non debeat Episcopus 6 permittere, deputari à ciuitatibus aliquos, qui comitentur Visitatores Monialium, etiam Regularibus subiectarum.

DVBITATIO XLIII.

An ingressus causa sit iusta in expellentibus malefactorem, qui Monasterium ingressus est, & egredi recusat?

S V M M A R I V M.

- 1 Ingressus causa est iusta si sit expellendus malefactor, qui commode per Moniales expelli non potest, & is egredi nolit.
- 2 Iudex potest ingredi Monasterium ad expellendum malefactorem, ad locum tamen eiusdem Monasterij exteriori immunitate gaudentem.
- 3 Malefactor iustam causam habet ingrediendi Monasteria Monialium, vt periculum Iudicis insequentis euadat.
- 4 Ius naturale fortius obligat quàm ius positium.
- 5 Malefactor cessante periculo debet exire: quod si nolit, & non gaudeat immunitate Ecclesie, iradi potest Curia seculari; si vero gaudet, ad minus extrahi debet, & poni in alio loco sacro.

R Espondetur affirmatiuè; quia incommode per Moniales, cum sint timidae, & debiles, expelli non potest; & ex alio capite dedecet eum cum Monialibus esse. Doctores, quos citat, & sequitur Llamas §. 6. Rodrig. tom. 1. qq. Regul. quest. 47. art. 4. in fin. & Bonacina, & Lezana in locis infra citandis.

Hinc sequitur, quod etiam Iudex possit Monasterium ingredi, vt eum expellat, ad locum tamen eiusdem Monasterij exteriori immunitate gaudentem, non autem ad locum alterius rationis, vel ad carcerem; nisi in casu, quo manifestè is Ecclesie immunitate non gaudeat, quia tunc poterit Iudex ex licentia Superioris eum à Monasterio simpliciter expellere, & ducere ad carcerem; quin si periculum sit in mora, vel iniuste denegeret licentia, poterit sine licentia Monasterium ingredi, & eum expellere, quia in priori casu necessitas urget, contra

contra Bonacinam, & in posteriori iniuste iure suo priuaretur.

- 3 An autem malefactor iustam ingressus causam habeat, ut periculum iudicis insequentis euadat, quando merito timet fore quod ab illo ex Ecclesia extrahatur?

Respondetur affirmatiue; quia ius tuendi vitam, vel vitandi graue damnum, utpote de iure naturæ, excusat ab obseruantia iuris positiui; cum ius naturale fortius obliget, quam ius positium (quamvis non liceat Monialibus illum admittere; quia dedecet ipsarum statum secum malefactorem intra clausuram admittere. Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina de clausura, quest. 4. par. 4. num. 13. & Lezana verb. clausura, num. 31.) Vide quæ dicuntur dub. 47. cessante tamen periculo debet exire: quod si nolit, & non gaudeat immunitate Ecclesiæ, iuxta dicta cap. 16. per totum, tradi potest Curie seculari iuxta modum præscriptum in Constitutione Gregorij XIV. & nos dicebamus cit. ap. 16. dub. 40. si verò gaudeat, ad minus extrahi debet clausura Monasterij, & poni in alio loco sacro extra illam, data etiam viris in utroque casu ad eum clausura eiciendum facultate, sicuti supra dicebam, & docet Rodriguez cit. art. 4. vers. nec his obstat, ubi subdit, iuxta ea, quæ supra dicebam, non esse opus in hoc casu recurrere ad Superiorem longe distantem, cum periculum sit in mora, sed sufficere consensum Abbatis, & discretarum.

DVBITATIO XLIV.

An ingressus causa sit iusta Monasterij oeconomo ad querenda instrumenta in Archiuo intra clausuram esistenti?

SVMMARIVM.

- 1 Oeconomus Monasterij habet iustam causam ingrediendi clausuram ad querenda instrumenta in archiuo, si id fieri necesse est, & commode præstari per Moniales non possit.

Respondetur ex dictis affirmatiue, quando id fieri necesse est, & fieri commode non potest per Moniales, præsertim si nesciant id facere. Vide Llamas loc. supra cit. §. 6. & Lezanam verb. Clausura, num. 30.

DVBITATIO XLV.

An ingressus causa sit iusta in baiulis Monasterio necessaria intromittentibus?

SVMMARIVM.

- 1 Baiuli Monasterio necessaria intromittentes, si ea sint onerosa nimis, nec possint Moniales subleuare, iustam causam habent ingrediendi.
 - 2 Hortulani iustam causam habent excolendi causâ hortum.
 - 3 Deponens in Monasterio notabilem quantitatem pecuniarum, si sit benemeritus Monasterij, iustam causam habet ingrediendi, si ad illam deponendam non esset alius locus tutus, & si exigeret charitas.
- Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars I I.

- 4 Ingressus in Monasterium permissus videtur ob utilitatem Monasterij, vel si sic ius natura, vel diuinum suadeat.

Respondetur ex dictis etiam affirmatiue, quando ea sunt nimis onerosa, ut non possint commode per Moniales, utpote debiles, & delicatas, introduci; quia tunc adeit moralis necessitas. Accedit, quia iam sic vsu receptum est. Miranda de Monialib. q. 2. art. 17. ad fin. Bonacina quest. 4. & Llamas §. 6. ubi et propter eandem rationem idem docent de hortulanis causâ horti interioris rigandi, & excolendi; secus tamen de pharmacopola ad potionem medicam infirmis porrigendam; quia hoc fieri commode potest per ipsas Moniales: quamvis si esset opus ingredi pharmacopolam, ut doceat Moniales aliqua medicamenta condire, liceret tunc eius ingressus; quia tunc est de eius ingressu necessitas moralis, uti dicebam supra dub. 40.

Cæterum, an ingressus causa sit etiam iusta ad intromittendum depositum pecuniarium in magno pondere, quod propterea commode non possit similiter introduci per Moniales?

Respondetur affirmatiue, etiam si tamen deponens sit benemeritus, saltem in spe, de Monasterio; vel si ob alias circumstantias, v. g. quia ad illas deponendas non esset alius locus tutus, sic exigeret charitas. Alias non, quia tunc nec Monasterij utilitas, nec charitas locum haberet, siquidem ingressus in Monasterium permissus videtur ob utilitatem Monasterij, vel si sic ius natura, vel diuinum suadeat.

DVBITATIO XLVI.

An ingressus causa sit iusta in puellis, ut honeste in Monasterio Monialium educantur?

SVMMARIVM.

- 1 Puella ut honeste in Monasterio educatur, iustam ingressus causam habet.
- 2 Ingressus puellarum ut educantur in Monasterio non est intrinsece malus, imò est aliquo modo necessarius, & ideo permittitur de Episcopi, seu Superioris licentia.
- 3 Ingressus puellarum censetur iustus. Primo si non repugnet instituto Religionis. Secundo si recipiendi sit consuetudo. Tercio si accedat consensus Abbatis & Monasterij licentia Superioris in scriptis obtenta. Quarto ut sent sine famulabus. Quinto, ut egredi & regredi nequeant. Sexto, ut sint minores 25. annis, & ultra 25. atatis annum in Monasterio non retineantur. Septimo, ut habitu conuenienti utantur.
- 4 Puella, quæ completo 25. anno non egrediatur, nec Monialium Prælatæ, quæ retinet, excommunicacionem incurrit.
- 5 Episcopus potest semina renuenti egredi de Monasterio constituere terminum ad eligendum egressum, vel ad suscipiendum habitum Religionis.
- 6 Ingressus puellarum ut sit iustus ultra septem causas recensitas, requirit tres alias ex præscripto sacre Congregationis Cardinalium, nempe ut non sint supra numerum, ut quolibet semestri soluantur anticipata alimenta, ut sint separata a dormitorio, & laboratorio Monialium.
- 7 Ingressus in Monasteria Monialium prohibitus fuit